



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Syntaxis Joa[n]nis Despauterij Niniuit[a]e Berga[rum] diui  
Guinnoci ludimagistri**

**Spauter, Johannes de  
Argentorati, Anno, M. D. XV.**

Syntaxis & partes eius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70853)

mus, & tãta ponimus quãta alius nemo. dicitur autem a pros. i. ad & cdo id est cano, uel sine diphthongo ab ode. i. catus, sed cum deriuatio sit eadem que in comœdia, tragœdia. ideo cum ce dicunt non indocti, pœdia; & Tortellius asserit sic dici debuisse, sed pro scriptum testat, ut sonus sit apud nos qui est apud grecos, ut in psalmodia. Lãcilottus & plures plurima de rebus a me plibatis pulcherrime disputant, & de grammatice officio, ceterisque id genus que consulto ne rerum uarietate puerulorum ingenia oneremus, missa fecimus. Verum quia syntaxin aggredimur, de partibus eius paucillulum afferamus.

## Syntaxis &amp; partes eius.

**S**yntaxis. i. constructio, est debita partium in oratione ordinatio, qua congruum ab incongruo discernimus. Congruitas est oratio secundum grammatice regulam facta. Est autem aliud congrue uel grammatice loqui, aliud latine. Illud est artis, hoc eloquii (ut Domitius & Theodorus aiunt) Grammatice loqui est ubi cura sermonis uitium non admittit. Latine uero ubi elocutione lucefcit oratio. Ideo Valla dixit, maluit interpres latine loqui quam grammatice, ubi suo sibi se iugulat gladio, quod dixerat noui testamenti non est litera latina. Parcius dictum oportuit aiunt. Lancilotus, Mancinellus, ceterique. Syntaxis triplex est, preceptiua, permissiua, prohibitiua, ut enim iuris est precipere, permittere, prohibere, ita & grammatice. Est igitur preceptiua que sub arte et precepto sine uitio cadit, ut uir fortis, turba sedet. Permissiua est contra artem constructio uitiosa, ratione uel auctoritate excusata, ut anser foeta, sola bubo, accus desinit in am breuem, pars secant, & alia id genus plurima, que apud doctos si repiant, dicunt schemata, apud indoctos solœcissimi, & scribbligines. i. incongrue partium orationis compositiones, sed usu uenit, ut quod sub permissiua continebatur, simul quasi sub arte cadens usurpet, tantum potest doctissimorum auctoritas. Prohibitiua est incongrua partium orationis compositio, que solœcismus dicitur, ut uir alba, ego sedet, solœcismus autem diphthongo ce in secunda syllaba habet, si dictio corrupta, ratione excuset, dicitur metaplasmus, ut celicolu pro celicolaru, si nulla subsit ratio, barbarismus est, ut hypocrita sine aspiratione in prima, ubi aspiratio debeat cum y greco esse sic hypocrita. Eadem oratio dicitur preceptiua & prohibitiua, si diuersos aspiramus, siquidem uni permissum, alteri plerumque prohibet, nepe paucorum priuilegia non sunt leges communes omnium. Non enim ita paganis permissum est testari quod militibus. Schemata uocant alexandrini impedimenta, sed latinis ea impedimenti significantia est penitus inaudita, ut syntactica, dialyntetica, partes pro patria bonum latinum, a parte ante, a parte post.

A ij

## Ioannis Despauterij Niniuite.

Dicendū quippe fuerat syntaxis, oratio bene latina. Ioānes scribit, loquitur, scit latine, post se, ante se, uel a frōte, a tergo, ut Lācilotus ait, eiusmodi ineptiolas peritus grāmaticę p̄ceptor facile notauerit plurimas. Ad hęc syntaxis p̄ceptiua triplex est, familiaris, mediā & elegans. Familiaris est circa familiarē loquēdi modum p̄fecta constructio, ut te laudāt oēs. Mediā est circa laudatiōē dicēdi modū p̄fecta cōstructio, ut te omnes quidē honore afficiūt. Elegās est circa elegantissimū dicēdi modū p̄fecta cōstructio, ut laus tua nō obscuro, nec uario sermōe, sed & clarissime, & una omniū uoce p̄feri. De hac triplici syntaxi promiscue in hoc octauo capite siue capitulo dicemus. De syntaxi elegāti quę supabūt, in Nono (si tempus supauerit) enucleabunt. Postremū syntaxis siue cōstructio bipartita est, concordantia & regimē. Cōcordantia est debita partiū orationis conueniētia in genere, numero, casu uel p̄sona, estq; triplex, adiectiui & substantiui, relatiui & antecedētis, noīatiui & uerbi, sed qm̄ uerbū regit nominatiuū scđm plurimos, ideo inter regimīna ponemus. Addunt alię concordantiā interrogatiui & redditui & coniuñctorū, quam nos etiā ceteris annectemus, rem minime inutilē. Regimen est certi casus exigentia, & est duplex, actiuū, id est dictio regēs, cuius significatio per passiuū regimen, id est per dictiōē rectā declarat, ut amo deū, hic amo est regimē actiuū, deū regimē passiuū. Regere & deseri uire idem significāt. Determinare latius, quia adiectiuū substantiuū determinat, non regit, nihil regit nisi casus, uel loco casus positū, regunt aut partes oēs p̄ter coniuñctiōē, nisi noīs officio fungat. Virg. lib. vi. Quę regio anchisem quis habet locus, illius ergo Venimus. Landinus inquit illius ergo. i. gratia & causa. Liuius ait ludos Apollinares nō uictorię, sed pestilētię ergo fuisse, sicuti sępius Marcus Cato. Seruius tamen quod Lādinū nō latuit, dixit illius ergo. i. p̄pter illum. ergo autē cōiuñctio fuit, sed per accentus mutationē in aduersiui trāsit, & est sola particula quę habet in sine circūflexū. Multi male putāt nomē esse indeclinabile, & dicūt positū esse p̄ causa. Hęc Seruius. Pronomē & p̄priū nomē casum nō regūt nisi per subaudiōē, & quodā modo figurate. In regimine ordinē nobis dat Alexāder, quia per casuū ordinē regimīna ponimus, quō. s. casus regantur non quo pacto regant per casuū ordinē declarabimus qui sunt sex, nā octauū sub tertio, septimū locamus sub sexto, uti patebit. Si quā dictio diuersos regit casus, tota declarat in priore casu, nec alibi repetēt. multa quoq; obiter dicent, sed pauillula ante regimen de cōcordantia uideamus. Carmen nostrū licet rudiusculū p̄ponētes, & ipsi interptis uicē subeūtes, quod idem ante nos fecit doctissimus uir

Aelius Antonius Nebriffensis. Declarabimus aut̄ carmē facili pr̄  
us modo pro obtusiusculorū captu, deinde firmiora subnectemus  
pro ingeniosis, ut nemo tam sit obrufus qui studio nihil cōsequatur  
Carmen ponimus, quia facilius prosa ediscitur.



**M** Concordantia adiectiui & substantiui.

**M**obile cum fixo genere & casu, numeroq;  
Conueniat, nomen sic vult cognomi adesse

Due sunt regule, prior est, Adiectiuū debet substantiuo esse simile  
in genere, casu & numero, ut seuus uictricus, iniusta nouerca, schola  
re murmur, quia Hieronymus ad Damasum ait, Nec aures Quins  
tiliani flosculis & scholari declamatōe mulcendę. Adiectiuū est qđ  
alteri adijci sine quo sensum nō pficit. & mobile dicit̄, quia de genes  
re mouet̄ in genus. Cōtra substantiuū dicit̄ quod adiectiuo substat  
quod quia firmū est, nec mouet̄ de genere in genus, fixum dicit̄. Sūt  
autē adiectiua uoce tm̄, ut ego, ille, significatione tm̄, pater, mater, uis  
ctor, quę substantiua dicimus. uoce & significatione, ut albus, pulcher.  
Item demōstratiua, ut talis, tātus. Relatiua, ut qualis, alius. Partitiua,  
ut uter, nullus, de quibus in regimine genitiui. Adiectiua sine substan  
tiuis posita dicuntur substantiuari ab iteratoribus. i. fieri substantiua. ali  
qn̄ in masculino genere, ut oriēs, occidens, uidens, p̄ dei ppheta, rus  
dens, p̄ fune nauis. Ouidius, Pulsi gemuere rudētes, iustus, pius & si  
milia q̄ dicuntur adiectiua p̄fessionis. Itē meus, tuus, suus, noster, uester,  
ut mei oēs sunt uita functi. mei. i. amici uel cognati &c. frequenter sic  
capiuntur apud poetas & oratores, sed fere pluraliter. Qñq; sed raro  
in fœminino, ut arida in byblijs pro terra, animās, p̄ animal. qđ etiā  
est neutri, cōtinens, p̄ terra non insula, sepissime in neutro, ut anteces  
dens, cōsequēs. Item triste lupus, dulce humor. i. tristis res, dulcis res,  
ut Seruius ait. Et sunt tūc duo substantiua ad eandē rem p̄tinētia. Vir  
gi. Dulce satis humor depulsis arbutus hœdis. Idē, Triste lupus stas  
bulis maturis frugibus imbres. Et alibi. Variū & mutabile semper  
fœmina. Ouidi. in. iij. de arte. Turpe iacens mulier multo madefacta  
lyeo. Digna est cōcubitus quoslibet illa pati. Idem, Turpe senex mī  
les, turpe senilis amor. Cice. Quū omniū rerū mors sit extremū. Cel  
sus, si nerui iuxta sunt, ignis alienū est. i. aliena res ait Nebriffensis, &  
id sit ubi naturā magis q̄ accidēs quiddā uolumus exprimere. Nas  
sus hypotheticus, homo incorporeus &c. orōnes sunt latine, licet as  
firmando nihil uere possint cōstituere, literatores multas ponūt ad  
iectiuorū & substantiuorū diuisiones, quibus superfedeo.

A iij